



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Art. 4. Quantam habeat efficaciam potestas legislativa Principum, tum  
Ecclesiasticorum, tum Sæcularium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Nam quod servari debeat, videtur manifestum; quia ut lex absolute lata, obliget omnes, non requirit consensum majoris partis. Præterea, quod iusti & timorati non teneantur multis legibus, quas major & deterior pars non servat, admitti non potest nec debet, nisi in duobus casibus. 1. Cum legislator expressè vel tacite consentit, ut lex non servetur à minori parte, quando à majori parte non servatur. 2. Quando lex, quæ non servatur à majori parte, non potest servari à minori sine gravi damno, vel incommodo reipublicæ.

*Obj.* 1. Gratianus dist. 4. ad can. 6, sic ait: *Leges instituuntur, cum promulgantur: firmanur, cum moribus utentium approbantur.* R. Leges firmanur per usum, non quia per usum valorem suum accipiunt, sed quia per usum à periculo abrogationis removen- tur: nam si populus legem à Principe latam non servaret, tandem, vel principe nimis populi resistentiæ cedente, vel contraria consuetudine præscribente, aboleretur.

*Obj.* 2. Consuetudo potest abrogare legem jam obligantem. Ergo multo magis prævenire illam potest, ne obliget ante acceptationem majoris partis communitatis. R. neg. conseq. Nam consuetudo nihil potest contra legem, nisi sit legitime præscripta, nec est legitime præscripta, quandiu legislator ejus præscriptioni resistit. Consuetudo autem non servandi leges, nisi postquam à majori parte communitatis fuerunt acceptatæ, aut nulla est, aut non est legitime præscripta: cum legislatores ejus præscriptioni resistent, subditos suos ad legum suarum acceptationem & observationem cogendo statim post sufficientem illarum promulgationem.

*Quæres.* Utrum ad valorem legum humanarum, tam civilium quam ecclesiasticarum, requiratur promulgatio, & qualis requiratur?

R. 1. requiri promulgationem. Nam vel, ut nos dicimus, promulgatio est intrinsecum & essentielle complementum legis cuiuscunque: sine tali autem complemento nullam legem valorem suum habere posse per se clarum est, cum per se clarum sit nullam legem obligare posse, antequam sit in suo esse completa & perfecta: vel saltem est applicatio legis cuiuscunque ad subditos; lex autem, cum sit regula & mensura, nullum habere potest effectum, nisi applicetur.

R. 2. Requiri promulgationem solemnem & publicam, & quidem talem, ut lex per divulgationem, quæ est extensio promulgationis: humano modo innotescere possit omnibus subditis. Ratio est, quia lex humana est instrumentum publicum, quo reguntur subditi, vel si vis, regula & mensura publica, qua regulantur actus subditorum. At instrumentum publicum, regula & mensura publica, applicari debet publice: applicatio enim privatim facta singulis membris communitatis, nec expediret, nec moraliter possibilibus esset legislatori humano.

Addidi autem, & quidem talem, ut lex, &c. quia lex humana, quæ sic promulgaretur, ut non nisi divinitus & per miraculum devenire posset in notitiam omnium subditorum, non esset sufficienter proposita & intimata communitati, cuius bonum commune, per leges ad hunc finem latas, humanitatis procurari non potest, nisi leges illæ humanitatis innotescere possint omnibus membris communitatis. Lex autem nullius esse potest valoris, quandiu non est communitati sufficienter proposita & intimata.

## ARTICULUS IV.

*Quantam habeat effociam potestas legislativa Principum, tum Ecclesiasticorum, tum Sæcularium.*

## RESPONSIO I.

**P**rincipes, sive Ecclesiastici, sive, Sæculares, leges ferre non possunt nisi subditis suis.

*Prob.* Nam, ut lumine naturali notum est, nullum agens agere potest extra sphaeram activitatis suæ. Atqui non subditi sunt extra sphaeram potestatis legislativæ. Ergo, &c. Hinc 1. Ecclesia leges ferre non potest iis qui non sunt baptizati, quia nemo ante baptismum subijcitur Ecclesiæ. Unde infideles non baptizati, & catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis. 2. Summus Pontifex non potest ferre leges civiles, nisi terris sibi Regum & Imperatorum dono subjectis in temporalibus, quia reliquæ orbis partes subijciuntur illi in spiritualibus tantum. 3. Imperator legitime electus, & ita imperatoriam authoritatem habens, non potest ferre leges, nisi pro provinciis & regnis subjectis ipsi, vel quia illorum immediatus dominus est, vel quia agnoscunt illum ut dominum supremum, ratione feudi, aut quocumque alio titulo. Unde regnum Gallia v.g. non tenetur legibus Imperatoris. 4. Quicumque alii Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, & Concilia, & communitates habentes jurisdictionem, leges ferre possunt intra limites jurisdictionis suæ tantum. Unde v.g. Episcopi leges ferre tantum possunt pro suis diocesisbus.

## RESPONSIO II.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non possunt leges ferre, nisi de rebus regimini suo subjectis.

*Prob.* Quia, ut jam dictum est, nullum agens, sive in physicis, sive in moralibus, potest agere extra sphaeram activitatis suæ. Hinc 1. Principes Sæculares non possunt ferre leges de rebus ecclesiasticis, nec Ecclesiastici de rebus civilibus. 2. Episcopi statuere non possunt de causis majoribus, quæ reservatæ sunt Summo Pontifici. 3. Prælati Religiosi subditis suis præcipere tantum possunt ea quæ regulis continentur formaliter, aut saltem virtualiter, in quantum moraliter necessaria sunt ad observationem regulatum.

## RESPONSIO III.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non possunt ferre leges contrarias legibus superiorum.

*Prob.* Nam, ut lumine naturali notum est, potestas inferior non prævalet superiori, sed ab ea superatur. Propter eandem rationem, Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, abrogare nequeunt leges superiorum, aut à Superioribus confirmatas. Hinc v.g. Episcopus non potest ferre leges contra jus commune, nec abrogare leges quas ipse, aut aliquis ex ejus prædecessoribus tulit, & Summus Pontifex confirmavit: potest tamen, per episcopum, aliquid decernere contra jus commune in aliquo casu particulari, pro quo superior nec adiri, nec consuli potest.

## RESPONSIO IV.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, per leges suas præceptivas, aut prohibitivas, non obligant ad aliquid agendum, aut omittendum, nisi subditos usum rationis habentes.

*Prob.* Nam Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, legibus suis præceptivis aut prohibitivis eos tantum obligare possunt, qui capaces sunt directionis: leges enim præceptivæ & prohibitivæ sunt regulæ, quibus legislatores actus subditorum suorum dirigunt ad bonum commune. Sed qui usum rationis non habent, non sunt capaces directionis: non enim magis propriè actus eorum regulari & dirigi possunt, quam actus brutorum animalium. Ergo, &c. Hinc infantes, qui nondum ad usum rationis pervenerunt, nullis legibus præceptivis aut prohibitivis tenentur. Idem dic de perpetuo amentibus. Qui verò ad tempus tantum insaniunt, sicut & dormientes & ebrii, obligantur tam præceptivis quam prohibitivis legibus, quia non actu quidem, sed, quod sufficit, habitu usum rationis habent. Unde omittendo aliquid quod præceptum est, aut aliquid faciendo quod est prohibitum, peccant, quamvis materialiter tantum.

Dixi autem, infantes qui nondum pervenerunt ad annos

annos discretionis, non teneri legibus præceptivis, aut prohibitivis: nam teneri possunt, & tenentur legibus simpliciter constitutivis, qualis est v. g. lex qua statuitur, ut illegitimi sint irregulares, & lex qua statuitur, ut non baptizati sint incapaces aliorum Sacramentorum. Ratio disparitatis est, quia qui usu rationis carent, licet non sint capaces obligationis moralis, quia sunt incapaces directionis, nihilominus capaces sunt impedimenti, quasi naturalis, quod lex propter bonum commune inducere potest, nulla supposita culpa, & consequenter nullo libero voluntatis exercitio supposito ex parte eorum quibus impedimentum illud imponitur.

## RESPONSIO V.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non tenentur legibus, à prædecessoribus suis, vel à se latis.

*Prob.* Et 1. quidem non obligantur legibus prædecessorum suorum: cum enim parem habeant cum illis auctoritatem, non sunt illorum subditi. Legislatores autem non possunt nisi subditos suos obligare. Ergo, &c. 2. Non obligantur legibus à se latis. Nam legibus à se latis non obligant nisi subditos sibi. At ipsi non sunt sibi subditi: nemo enim in se ipsum superioritatem & jurisdictionem habere potest, Ergo, &c.

*Confirm.* Quia, secundum omnes, legislator non tenetur legibus suis quoad vim coactivam & punitivam. Ergo nec tenetur quoad vim directivam. *Prob. consequ.* Legislator non obligat se legibus suis quoad vim coactivam & punitivam, quia ad sic obligandum aliquem, requiritur superioritas & jurisdictione. Atqui pariter requiritur superioritas & jurisdictione ad obligandum lege quoad vim directivam. Ergo, &c.

Porrò quamvis Princeps, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, obligari non possit legibus à prædecessoribus, aut à se latis, ad illas tamen servandas tenetur jure naturali, cui subiectus est; tenetur, inquam, quando materia universalis est, & Principi æquè ac subditis conveniens. Jus enim naturale postulat, ut Princeps vita & moribus concordet cum subditis in iis omnibus, quæ ipsi æquè ac subditis conveniunt, tum quia hoc ad utilem & convenientem communis gubernationem necessarium est, tum quia Princeps subditis suis exemplo præesse debet. Hinc illud: *Patore legem quam tuleris.* Et illud: *Quod quisque juri in alterum statuit, ipse debet uti eo.* Et illud: *Digna vos maiestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri.*

Dixi autem, quando materia universalis est, & Principi æquè ac subditis conveniens: nam quando materia legum non est talis, tunc ad illas servandas nullo jure tenetur Princeps. Caput enim non tenetur se conformare membris, in iis quæ ipsi non sunt accommodata. Porrò non est silentio prætermittendum, cum dicimus leges non obligare etiam quoad vim directivam Principes à quibus feruntur, id intelligi debere de legibus quas Principes ferunt sola auctoritate propria, non de legibus quas ferunt cum communitate: quando enim inferiores sunt, & subditi communitati, licet sint illius pars præcipua, possint his legibus, non solum quoad vim directivam, sed etiam quoad vim coactivam obligari. Sic duces rerum publicarum tenentur legibus quas cum illis tulerunt. Sic etiam Generales Ordinum religiosorum tenentur legibus latis in Capitulo generali, & subjacent penis decretis in transgressores. Ratio pro utrisque est, quia subditi sunt communitati, à qua feruntur leges.

*Obj.* illud Juris axioma: *Iustum est Principem legibus suis obtemperare.* R. Huic axiomati satisficit, si dicatur Principes jure naturali teneri ad servandas leges suas, quando materia de se universalis est, & Principi æquè ac subditis convenit: tunc enim legem suam transgrediendo, Princeps idem specie peccatum cum subditis legem illam transgredientibus committit, puta peccatum iniustitiæ, si v. g. vendat tri-

cum ultra pretium à se taxatum; quia jus naturale obligat illum ad servandam legem ex affectu virtutis, quam lex præscribit.

*Dices.* Si Princeps solum jure naturali tenetur ad servandam legem suam, quando materia legis membris omnibus communitatis communis est, & æquè conveniens, tenetur tantum legem suam servare ad vitandum scandalum, & ita sublato scandali periculo, non tenetur amplius. Absurdum consequ. Ergo, &c.

R. neg. seq. maj. Nam Princeps jure naturali tenetur ad servandam, &c. non solum propter scandalum vitandum, sed etiam propter utilem & convenientem reipublicæ administrationem, quæ postulat ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis quorum materia communis est, & æquè conveniens omnibus. Hinc Princeps cum aliquo dispensans in lege sua sine iusta causa, peccat; & qui sine iusta causa petit dispensationem, peccat; & si dispensatione utatur, peccat, non quidem contra legem humanam, cujus vinculum pro illo relaxatum est, sed contra jus naturale, quo præscribitur uniformitas in servanda lege, quando difformitas non habet rationabile fundamentum: non habet autem, quando materia legis communis est omnibus, & omnibus æquè convenit: unde tunc est jure naturali prohibita, quia vergit in detrimentum communitatis.

## RESPONSIO VI.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, legibus suis non obligant exemptos à sua jurisdictione.

*Prob.* Nam Princeps, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, non potest legibus obligare nisi sibi subditos. Atqui hoc ipso quod aliquis eximitur à jurisdictione Principis, definit esse subditus illi, secundum id, secundum quod eximitur. Ergo, &c. Hinc Religiosi exempti non obligantur legibus episcopalibus, aut synodaliibus, cum sint exempti à jurisdictione episcopali: tenentur tamen, juxta decretum Concilii Tridentini sess. 25. c. 12. servare censuras, & interdicta ab Episcopis emanata, & dies festos ab illis præscriptos.

Porrò Clerici non ita sunt à Principum Sæcularium jurisdictione exempti, ut non obligentur, etiam in conscientia, legibus civilibus communitatis in qua vivunt, quando materia illarum nihil habet repugnans statui clericali, sacris canonibus, aut immunitati ecclesiasticæ, qualis est v. g. lex qua pretium rerum taxatur. Ratio est, quia verè sunt membra communitatis in qua vivunt, & commodis ejus fruuntur. Unde æquitas & recta ratio postulat, ut se ceteris omnibus membris conforment, in iis quæ illis communia sunt cum laicis, & æquè illis ac laicis conveniunt: hoc enim ad bonam reipublicæ administrationem omnino requiritur.

## RESPONSIO VII.

Principes, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, non obligant legibus suis extra proprium territorium.

*Prob.* Quia potestas legislativa agere non potest extra spheram activitatis suæ. Atqui sphaera activitatis ejus non extenditur extra proprium territorium. Ergo, &c. Hinc c. 2. de constitutionibus in 6. dicitur, penam per statutum Episcopi latam, non incurri ab eo qui statutum illud non servat extra territorium Episcopi; quia scilicet *extra territorium jus dicenti non pareatur impune.* Hinc etiam in jure civili lex dicitur *Jus proprium civitatis.*

Itaque legibus proprii territorii non tenentur, qui in alieno territorio, sive immorando, sive transeundo tantum, versantur; quia legibus proprii territorii non tenentur subditi, statim atque ex illo egreditur, nec peccat aliter agendo quam legibus proprii territorii præscriptum est, modo tamen res circa quam agere censetur non sit intra territorium: nam si intra territorium est res illa circa quam censetur agere, tenetur legibus territorii, & penis per leges illas statutis subjacet, quia tunc censetur agere in territorio, & delictum quod committit, censetur committi in-

tra,

tra, non extra territorium. Sic Beneficiarius, qui abest a territorio in quo beneficium habet, incurrit censuras contra non residentes latas ab Episcopo territorii illius; quia in illo peccatum non resistit iuri committi jure merito censetur.

## RESPONSIO VIII.

Peregrini & advenæ tenentur legibus loci in quo inveniuntur, sive diutius ibi morentur, sive brevius.

*Prob.* Nam Principes, tam Ecclesiastici quam Seculares, legibus suis obligant eos omnes qui eorum jurisdictioni subjacent, quandiu subjacent. Atqui peregrini & advenæ, hoc ipso quod ingrediuntur territorium aliquod, subjacent jurisdictioni Principis illius territorii, & tandiu subjacent, quandiu in illo morantur. Hoc enim recta gubernatio & bonum commune postulant, & Principes Sæculares habent ex natura rei, Principes verò Ecclesiastici, ex concessione Christi, vel Ecclesiæ, jurisdictionem necessariam ad utilem & convenientem administrationem communitatis, & commune bonum procurandum.

Hinc, nemine reclamante, Principes sæculares, quando expedit bono communi, multa statuunt, etiam in ordine ad peregrinos, ut quod frumentum non exportetur; quod triticum ultra tale pretium non vendatur, &c. Imò statuunt aliqua, quæ solos peregrinos obligant, ut quod ultra certum tempus non morentur in civitate, vel provincia, aut regno; & si non obediunt, puniuntur. Item Principes Ecclesiastici puniunt peregrinos non servantes festa localia.

Quando igitur in Jure civili dicitur, peregrinos non sortiri forum loci per quem transeunt, hoc de illis intelligendum est, postquam inde excesserunt. Quod autem fortiantur forum loci per quem transeunt, quandiu in eo sunt, constat ex praxi, & sortiri debere recta ratio docet, si nimirum ibi delictum aliquod committant. Hic tamen obiter observamus, hoc, quod dicimus, peregrinum subjacere jurisdictioni Principis territorii in quo inveniunt, intelligendum esse cum aliqua restrictione, videlicet modo persona non sit talis, ut propter eminentem dignitatem, nec possit, nec debeat subjacere.

## DISPUTATIO VI.

De materia & obligatione Legum humanarum, tam civilium quam ecclesiasticarum.

## ARTICULUS I.

Utrum legislator humanus possit præcipere vel prohibere actus internos.

## RESPONSIO I.

**L**egislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus merè internos.

*Prob.* Legislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus, & quorum positionem aut omissionem non potest cogere subditos. Atqui legislator humanus non potest cogere subditos ad positionem actuum merè internorum. Ergo, &c. Minor per se patet: quum enim actus merè interni, nec per aliud sufficienter cadere possint sub cognitionem humanam, de illorum omissione vel positione legislator humanus judicare non potest, & ita non possit punire subditos omitrentes actus merè internos qui præciperentur, aut ponentes actus merè internos qui prohiberentur; non possit inquam, punire pena, non solum per ipsam legem præcipientem aut prohibentem, sed etiam per sententiam ab homine latam inflicta: quod tamen ad vim coactivam propriè dictam requiritur.

*Prob. ergo maj.* Nam in legislatore civili ex natura rei, & in legislatore ecclesiastico ex institutione Christi, non est potestas præcipiendi aut prohibendi, sine

potestate cogendi. Ergo, &c. *Prob. ant.* In communitate perfecta, & consequenter in legislatore civili, non est ex natura rei; similiter in legislatore ecclesiastico non est ex institutione Christi potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ conveniter exerceri potest, & conducibiliter ad commune bonum. Atqui hoc modo exerceri non potest potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ cum potestate cogendi conjuncta est, ut consideranti faciliè patet.

Et verò cum leges non tam statuantur pro justis, quam pro injustis, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. c. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*; certè leges non statuuntur, & ita potentia legislativa non exercetur convenienter, & conducibiliter ad bonum commune, sine potestate cogendi ad ea quæ legibus statuuntur. Mali enim, qui in quavis republica bonos numero faciliè superant, parùm solliciti de conscientia, & de impunitate certi, & leges sine potestate cogendi latas, & ipsum legislatorem faciliè contemnerent.

Hoc argumentum suggerit S. Thomas hic q. 91. a. 4. in o. ubi sic loquitur: *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent. & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quod ad hoc supervenerit lex divina.*

Secundum principia igitur sancti Doctoris, neque legislator civilis ex natura rei, neque ecclesiasticus ex institutione Christi, potestatem habet statuendi de actibus merè internis, sed hæc potestas secundum sapientem providentiæ dispositionem, reservata est soli Deo legislatori, in cujus oculis omnia nuda sunt & aperta. Unde tam de internis quam de externis judicare potest, proindeque tam ad internorum quam externorum actuum positionem vel omissionem cogere potest creaturam rationalem.

Potest dicitur in responsione, actus merè internos: potest enim legislator humanus præcipere vel prohibere actus internos, necessarios ad positionem vel omissionem actuum externorum, quos præcipere vel prohibere potest. Sic v. g. legislator humanus præcipiens actum externum recitandi officium, præcipit voluntatem efficacem recitandi, sine qua actus externus recitandi poni non potest. Similiter legislator humanus prohibens actum externum furandi, prohibet voluntatem efficacem furandi, qua posita, actus externus furandi non potest omitti, cum adest furandi opportunitas.

Ratio est, quia 1. tales actus interni sufficienter innotescent per externos, quibuscum unum totalem actum constituunt. Unde legislator humanus potest de illis judicare, & ad illorum positionem vel omissionem sufficienter cogere. 2. Legislator humanus potestatem habens præcipiendi vel prohibendi aliquem actum externum, hoc ipso non potest non habere potestatem præcipiendi vel prohibendi id omne quod necessarium est ad illius positionem vel omissionem.

Hoc tamen discrimen interest inter actum externum & actum internum, ad ejus positionem vel omissionem necessarium, quod externus per se primò præcipiatur vel prohibeatur, internus verò præcipiatur vel prohibeatur secundariò tantum, & ratione externi, quatenus ad illum ponendum vel omitendum necessarius est. Ratio autem est, quia potestas legislativa, sive civilis, sive ecclesiastica, per se primò ordinatur ad regimen externum communitatis, sive civilis, sive ecclesiasticæ, & ita per se primò versatur circa actus externos, & ita circa internos non versatur, nisi propter externos.

*Obj.* Christus dare potuit Ecclesiæ potestatem præcipiendi vel prohibendi actus merè internos, Deo relinquendo cognitionem & punitionem transgressionum merè internarum. *R.* Christum absolute potuisse potestatem hanc dare Ecclesiæ: nam illam habet, nec illam communicari Ecclesiæ repugnat; de facto tamen